



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Hildegardis V. 17. Septembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

3; Decimo tertio anno post mortem Edithæ inven-  
ta sunt membra immunia à tabo præter oculos, pe-  
des, & manus, quibus membris in molli ætate abusa  
est ad levitatem. Quis tibi usus est horum membro-  
rum? *an non scandalizat te oculus tuus, vel pes, vel manus?*

**S. HILDEGARDIS V.**

17. Septembris.

*Tristatur aliquis vestrum? oret*

*S. Jacob. Ep. c. 5.*

**N**escio quid de HILDEGARDE sentien-  
dum, mundumne deseruerit, an potius  
nunquam fuerit in mundo: quippe HX. an-  
norum virguncula inter Virgines sacras adle-  
cta. Cœlestia ab ipsis cunis videre habuit,  
nutuque hæc prodidit, quando sermone non  
potuit. Litteras, quas nunquam didicit, scri-  
psit tamen, easque non suâ linguâ: atque ut  
cantaturam scires olim, quod canere alii de-  
sperabant, carmen, jam tunc absque Docto-  
re scitissimè modulabatur. Vatum etiam sa-  
crorum oracula fideique nostræ volumina le-  
gebat & explicabat puella, ut ipsissimam sæ-  
culi illius Sibyllam Bernardus laudaret, & in  
concilio Rhemensi Eugenius PP. probaret.  
Cæterum visa cœlestia morbus comitabatur  
ferè continuus, qui castigabat scilicet timi-  
dam,



dam, quoties prodere hominibus moni-  
 cælo data negligeret; fuitque, cum lecto-  
 fixam ita undique oppugnarunt dolores, u-  
 cedere anima & velle deditioem facere jam  
 jam videretur. Sed præsidio Angeli venerunt  
 è Primipili Michaëlis cohorte; qui atros Ge-  
 nios unaque morbos omnes in fugam ege-  
 runt. Dum porrò vixit, mira egit innume-  
 ra, linceoque vultu ipsas cordis latebras in-  
 spexit, sensaque animi obtutu suo deprehen-  
 dit. Funus illustravit, Iris gemina in cælo  
 visa, hanc lux coronabat Lunæ circulum re-  
 ferens, quem itidem crux ornabat, multipli-  
 ci mox incremento innumera. Id miraculum  
 super defunctæ domum descendit. Et ascen-  
 dere nos dubitamus tam familiariter invitati.  
*Ex Surio.*

MEDITATIO.

*De modis tristitiam vincendi.*

1 **S** Hildegardis quanquam ferè nunquam sine  
 morbo esset, semper tamen dulcedine quadam  
 cœlesti delectabatur: disce modos vincendi tristi-  
 tiam. *Tristatur aliquis vestrum,* inquit S. Jacobus; *oret.*  
 cum Deo veluti cum amico doloris nostri cura com-  
 municanda, ille consulendus, & secretiori voce re-  
 spondebit. *Memor fui Dei, & delectatus sum,* ait David  
 in tribulationibus suis.

2. Ut hæc, quâ obruimur, tristitia citò abstergetur



consideremus esse complures nobis infeliciores. Tot pauperes in xenodochiis, tot ægroti in lectis suis, tot captivi apud Barbaros multò duriora patiuntur. Longè etiam majora sunt tormenta animarum quæ purgatoriis aut æternis ignibus cremantur: hos ignes cum meruerimus peccatis nostris, pœnitentiæ nomine hunc mœrorem pacatè feramus.

3. perpende tristitiam Christi Jesu, quâ tantùm non in horto mortuus est. Vide quid pro te in cruce passus sit, & dic cum Jesu: Pater fiat voluntas tua, calicem passionis bibam toto vitæ tempore, si ita placitum sit ante te. Denique cum Christus ipse & sancti omnes opprobriis & mœroribus saturati fuerint, nequicquam speremus nos fore perpetuò felices. *Timenda sunt Christianis presentis seculi gaudia & optanda pro devotione mœstia.* Chryl.

## S. THOMAS à VILLA N O V A.

18. Septembris.

*Estote misericordes, sicut & pater  
vester misericors est. Luc. 6.*

**E**Ducatio quid efficiat, ingens in pauperes misericordia THOMÆ convincit. Haussit hanc à parentibus, qui, ut ipsi liberales parvulo obtrusere nummos, unde ditaret pauperes, & laudabant, cum sine pallio & pileo,